

30TH SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

15-19 JANUARY 2024
UNIVERSITY OF SYDNEY

Level 2b

TUTORS:

Alex Westenberg

Jemima McPhee

MONDAY

Rhetorical Latin

Queen Elizabeth I of England

*Queen Elizabeth was taught Latin by the famous classicist Roger Ascham, who was considered to be one of the finest scholars of his day. His approach to teaching was, coincidentally, very similar to that of class 2B... Queen Elizabeth could speak Latin fluently by the age of 15. On 25 July 1597, a Polish ambassador, Paul Dzialynski, chastised Queen Elizabeth I publicly for interfering with his country's shipping trade with Spain. The furious Queen replied at once in **extemporaneous** Latin, a stunning rhetorical feat which delighted her countrymen and renewed the popularity of the aging queen. With great rhetorical skill, Elizabeth used a characteristic arrangement, the balancing of antitheses, together with sentence variety, irony, wordplay, and even some Latin rhyme. This brilliant epideictic oration, though short, demonstrates her acute historical and political memory, her definitions of "the law of nature" and "books of princes," and her perception of her royal power, and it demonstrates that at age sixty-three the queen's intellectual faculties were far from impaired. As a tour de force, this Latin oration can be ranked with Elizabeth's better-known English oration at Tilbury Camp in 1588. It shows an impressive skill not just in Latin itself, but in the art of oratory.*

ELIZABETH I'S LATIN REPLY TO THE POLISH AMBASSADOR

Eh, quam decepta fui, expectavi legationem, tu vero querelam mihi adduxisti. per literas acepi te esse Legatum, vero Heraldum; nunquam in vita mea audivi talem orationem, miror sane, miror tantam, et tam insolentem in publico audaciam, neq[ue] possum credere si rex tuus adesset quod ipse talia verba protulisset, qui vero tale aliquid tibi fortasse in mandatis commisit (quod quidem valde dubito) eo tribuendum, quod cum rex sit iuvenis, et non tam iure sanguinis, quam iure electionis, et noviter electus, non tam perfecte intelligat rationem tractandi istiusmodi negocia cum aliis principibus, quam vel maiores illius nobiscum observarunt, vel fortasse observaberunt ahi qui posthac eius locum tenebunt. Quod ad te attinet, tu mihi videris libros multos perlegisse, libros tamen principum non attigisse: sed prorsus ignorare quod inter reges convenerit, Iam quod iuris naturae et gentium tantopere mentionem facis, scito esse iuris naturae gentiumq[ue]: ut cum bellum inter reges intercedat, liceat alteri alterius bellica subsidia, undicunq[ue] allata intercipere, et ne in damnum suum

convertantur precavere: hoc, inquam, esse iuris naturae et gentium. Quod novam affinitatem cum domo Austriaca commemoras, quam tanti iam fieri velis, non te fugiat, ex eadem domo non defuisse, qui regi tuo poloniae regnum preripere voluisset. De caeteris quae non sunt huius loci et temporis, cum plura sint, et singulatim consideranda, illud expectabis quod ex quibusdam meis consiliariis huius rei designandis, intellige. Interea vero valeas & quiescas.

Epistulary Latin

Seneca the Younger, *Epistulae*

Famous Roman Stoic philosopher, he was also tutor to the young Emperor Nero, believing he could have a good influence on society through that position. Despairing, he retired from public life and wrote a number of philosophical works which are still read today. This week we're reading a selection of letters he wrote to a young man he was mentoring, on the importance of what we would today call 'mindful living'.

XXXVIII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Merito exigis ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus.

Plurimum proficit sermo, quia minutatim irrepit animo: disputationes praeparatae et effusae audiente populo plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est: consilium nemo clare dat.

Aliquando utendum est et illis, ut ita dicam, contionibus, ubi qui dubitat impellendus est; ubi vero non hoc agendum est, ut velit discere, sed ut discat, ad haec submissiora verba veniendum est. Facilius intrant et haerent; nec enim multis opus est sed efficacibus. [2] Seminis modo spargenda sunt, quod quamvis sit exiguum, cum occupavit idoneum locum, vires suas explicat et ex minimo in maximos auctus diffunditur. Idem facit ratio: non late patet, si aspicias; in opere crescit. Pauca sunt quae dicuntur, sed si illa animus bene excepit, conualescunt et exsurgunt. Eadem est, inquam, praeceptorum condicio quae seminum: multum efficiunt, et angusta sunt. Tantum, ut dixi, idonea mens

rapiat illa et in se trahat; multa invicem et ipsa generabit et plus reddet quam acceperit. Vale.

XLVI. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Librum tuum quem mihi promiseras accepi et tamquam lecturus ex commodo adaperui ac tantum degustare volui; deinde blanditus est ipse ut procederem longius. Qui quam disertus fuerit ex hoc intellegas licet: levis mihi visus est, cum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo aspectu aut Titi Livii aut Epicuri posset videri. Tanta autem dulcedine me tenuit et traxit ut illum sine ulla dilatione perlegerim. Sol me invitabat, fames admonebat, nubes minabantur; tamen exhausti totum. [2] Non tantum delectatus sed gavisus sum. Quid ingenii iste habuit, quid animi! Dicerem 'quid impetus!', si interquievisset, si <ex> intervallo surrexisset; nunc non fuit impetus sed tenor. Compositio virilis et sancta; nihilominus interveniebat dulce illud et loco lene. Grandis, erectus es: hoc te volo tenere, sic ire. Fecit aliquid et materia; ideo eligenda est fertilis, quae capiat ingenium, quae incitet.

[3] <De> libro plura scribam cum illum retractavero; nunc parum mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim. Sine me et inquirere. Non est quod verearis: verum audies. O te hominem felicem, quod nihil habes propter

quod quisquam tibi tam longe mentiatur! nisi quod iam etiam ubi causa sublata
est mentimur consuetudinis causa. Vale.

TUESDAY

Philosophical Latin

XXVIII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Hoc tibi soli putas accidisse et admiraris quasi rem novam quod peregrinatione tam longa et tot locorum varietatibus non discussisti tristitiam gravitatemque mentis? Animum debes mutare, non caelum. Licet vastum traieceris mare, licet, ut ait Vergilius noster, terraeque urbesque recedant,

sequentur te quocumque perveneris vitia. [2] Hoc idem querenti cuidam Socrates ait, 'quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? premit te eadem causa quae expulit'. Quid terrarum iuvare novitas potest? quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista iactatio. Quaeris quare te fuga ista non adiuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus. [3] Talem nunc esse habitum tuum cogita qualem Vergilius noster vatis inducit iam concitatae et instigatae multumque habentis se spiritus non sui:

bacchatur vates, magnum si pectore possit
excussisse deum.

Vadis huc illuc ut excutias insidens pondus quod ipsa iactatione incommodius fit, sicut in navi onera immota minus urgent, inaequaliter convoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt. Quidquid facis, contra te facis et motu ipso noces tibi; aegrum enim concutis. [4] At cum istuc exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet; in ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariae angulo colloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris quam quo interest, et ideo nulli loco addicere debemus animum. Cum hac

persuasione vivendum est: 'non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est'. [5]
Quod si liqueret tibi, non admirareris nil adiuvari te regionum varietatibus in quas subinde
priorum taedio migras; prima enim quaeque placuisset si omnem tuam crederes. Nunc <non>
peregrinaris sed erras et ageris ac locum ex loco mutas, cum illud quod quaeris, bene vivere,
omni loco positum sit. [6] Num quid tam turbidum fieri potest quam forum? ibi quoque licet
quiete vivere, si necesse sit. Sed si liceat disponere se, conspectum quoque et viciniam fori
procul fugiam; nam ut loca gravia etiam firmissimam valetudinem temptant, ita bonae
quoque menti necdum adhuc perfectae et convalescenti sunt aliqua parum salubria. [7]
Dissentio ab his qui in fluctus medios eunt et tumultuosam probantes vitam cotidie cum
difficultatibus rerum magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget, et malet in pace
esse quam in pugna; non multum prodest vitia sua proiecisse, si cum alienis rixandum est. [8]
'Triginta' inquit 'tyranni Socraten circumsteterunt nec potuerunt animum eius infringere.'
Quid interest quot domini sint? servitus una est; hanc qui contempsit in quanta libet turba
dominantium liber est.

[9] Tempus est desinere, sed si prius portorium solvero. 'Initium est salutis notitia peccati.'
Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus; nam qui peccare se nescit corrigi non vult;
deprehendas te oportet antequam emendes. [10] Quidam vitiis gloriantur: tu existimas aliquid
de remedio cogitare qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes te ipse
coargue, inquire in te; accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime
deprecatoris; aliquando te offende. Vale.

LIV. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Longum mihi commeatum dederat mala valetudo; repente me invasit. 'Quo genere?'
inquis. Prorsus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum est. Uni tamen morbo quasi

assignatus sum, quem quare Graeco nomine appellem nescio; satis enim apte dici suspirium potest. Brevis autem valde et procellae similis est impetus; intra horam fere desinit: quis enim diu exspirat? [2] Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. Quidni? aliud enim quidquid est aegrotare est, hoc animam egerere. Itaque medici hanc 'meditationem mortis' vocant; facit enim aliquando spiritus ille quod saepe conatus est. Hilarem me putas haec tibi scribere quia effugi? [3] Tam ridicule facio, si hoc fine quasi bona valetudine delector, quam ille, quisquis vicisse se putat cum vadimonium distulit.

Ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere. [4] 'Quid hoc est?' inquam 'tam saepe mors experitur me? Faciat: [at] ego illam diu expertus sum.' 'Quando?' inquis. Antequam nascerer. Mors est non esse. Id quale sit iam scio: hoc erit post me quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est et fuisse, antequam prodiremus in lucem; atqui nullam sensimus tunc vexationem. [5] Rogo, non stultissimum dicas si quis existimet lucernae peius esse cum extincta est quam antequam accenditur? Nos quoque et exstinguimur et accendimur: medio illo tempore aliquid patimur, utrumque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa et praecesserit et secutura sit. Quidquid ante nos fuit mors est; quid enim refert non incipias an desinas, cum utriusque rei hic sit effectus, non esse?

[6] His et eiusmodi exhortationibus - tacitis scilicet, nam verbis locus non erat - alloqui me non desii; deinde paulatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus coeperat, intervalla maiora fecit et retardatum est. At remansit, nec adhuc, quamvis desierit, ex natura fluit spiritus; sentio haesitationem quandam eius et moram. Quomodo volet, dummodo non ex animo suspirem. [7] Hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum, nihil cogito de die toto. Illum tu lauda et imitare quem non piget mori, cum iuвет vivere: quae est enim virtus, cum eiciaris, exire? Tamen est et hic virtus: eicior quidem, sed tamquam

exeam. Et ideo numquam eicitur sapiens quia eici est inde expelli unde invitatus recedas: nihil invitatus facit sapiens; necessitatem effugit, quia vult quod coactura est. Vale.

WEDNESDAY

Poetic Latin

Marcus Valerius Martialis (Martial), *Epigrammaton Libri*

Martial (born between 38 and 41 AD and died between 102 and 104 AD) was a Roman poet from the Iberian peninsula (modern-day Spain and Portugal). He was best known for a series of twelve books of epigrams, a collection of short, witty, often satirical and bitter poems mocking Roman life and practice. As this first couplet indicates, he was not above personal jibes.

12.88

Tongilianus habet nasum: scio, non nego. Sed iam

Nil praeter nasum Tongilianus habet.

1.28

Hesterno fetere mero qui credit Acerram,

fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

12.10

Habet Africanus miliens, tamen captat.

Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

2.66

Et delator es et calumniator,

et fraudator es et negotiator,

et fellator es et lanista. Miror

quare non habeas, Vacerra, nummos.

2.38

Quid mihi reddat ager quaeris, Line, Nomentanus?

Hoc mihi reddit ager: te, Line, non uideo.

5.34

Hanc tibi, Fronto pater, genetrix Flaccilla, puellam

oscula commendo deliciasque meas,

paruola ne nigras horrescat Erotion umbras

oraeque Tartarei prodigiosa canis.

Impletura fuit sextae modo frigora brumae, 5

uixisset totidem ni minus illa dies.

Inter tam ueteres ludat lasciuia patronos

et nomen blaeso garriat ore meum.

Mollia non rigidus caespes tegat ossa nec illi,

terra, grauis fueris: non fuit illa tibi. 10

5.37

Puella senibus dulcior mihi cynis,

agno Galaesi mollior Phalantini,

concha Lucrini delicatior stagni,

cui nec lapillos praeferas Erythraeos

nec modo politum pecudis Indicae dentem 5

niuesque primas liliumque non tactum;

quae crine uicit Baetici gregis uellus

Rhenique nodos aureamque nitelam;

fragrauit ore quod rosarium Paesti,

quod Atticarum prima mella cerarum, 10

quod sucinorum rapta de manu gleba;

cui comparatus indecens erat pauo,

inamabilis sciurus et frequens phoenix,

adhuc recenti tepet Erotion busto,

quam pessimorum lex amara fatorum 15

sexta peregit hieme, nec tamen tota,

nostros amores gaudiumque lususque.

Et esse tristem me meus uetat Paetus,

pectusque pulsans pariter et comam uellens:

"Deflere non te uernulae pudet mortem? 20

Ego coniugem" inquit "extuli et tamen uiuo,

notam, superbam, nobilem, lucupletem."

Quid esse nostro fortius potest Paeto?

Ducentiens accepit, et tamen uiuit!

10.61

Hic festinata requiescit Erotion umbra,

Crimine quam fati sexta peremit hiems.

Quisquis eris nostri post me regnator agelli,

Manibus exiguis annus iusta dato:

Sic lare perpetuo, sic turba sospite solus

5

Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Poetic-Fable Latin

Gaius Julius Phaedrus (Phaedrus), *Fabulae*

Phaedrus was a 1st Century freedman, who compiled (and greatly elaborated upon) the fables of Aesop. His work was written in iambi hexameter.

*Phaedrus Augusti libertus, natus circa annum 10 ante Christum natum
in Thracia, obiit circa 60 post Christum natum.*

III. De Vulpe et Uva

Fame coacta uulpes alta in uinea

uuam adpetebat, summis saliens uiribus.

Quam tangere ut non potuit, discedens ait:

"Nondum matura es; nolo acerbam sumere."

Qui, facere quae non possunt, uerbis eleuant,

adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

IV. Equus et Aper

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,

dum sese aper uolutat turbauit uadum.

Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,

auxilium petiit hominis; quem dorso leuans

rediit ad hostem laetus. Hunc telis eques

postquam interfecit, sic locutus traditur:

"Laetor tulisse auxilium me precibus tuis;

nam praedam cepi et didici quam sis utilis."

Atque ita coegit frenos inuitum pati.

Tum maestus ille: "Paruae uindictam rei

dum quaero demens, seruitutem repperi."

Haec iracundos admonebit fabula

inpune potius laedi quam dedi alteri.

Avianus, *Fabulae*

Avianus, c. AD 400, wrote 42 fables that were popular as a school-book well into the middle ages. Almost nothing is known about him, except that he dedicated his fables to a Theodosius, who may be either the well-known author or the emperor – either way, Avianus seems to have been well connected.

II. [DE TESTVDINE ET AQVILA.]

Pennatis avibus quondam testudo locuta est,

Si quis eam uolucrum constituisset humi,

Protinus e rubris conchis proferret harenis,

Quis precium nitido cortice bacca daret;

Indignum, sibimet tardo quod sedula gressu 5

Nil ageret, toto perficeretque die.

Ast ubi promissis aquilam fallacibus implet,

Experta est similem perfida lingua fidem;

Et male mercatis dum quaerit sidera pennis,

Occidit infelix alitis ungue fero. 10

Tunc quoque, sublimis, cum iam moreretur in auras

Ingemuit votis haec licuisse suis;

Nam dedit exosae post haec documenta quieti

Non sine supremo magna labore peti.

Sic quicumque nova sublatus laude tumescit, 15

Dat merito poenas, dum meliora cupit.

III. [DE CANCRIS]

Curva retro cedens dum fert vestigia cancer,

Hispida saxosis terra relisit aquis.

Hunc genetrix facili cupiens procedere gressu

Talibus alloquiis emouisse datur:

Ne tibi transverso placeant haec devia, nate, 5

Rursus in obliquos neu velis ire pedes,

Sed nisu contenta ferens vestigia recto

Innocuos prono tramite siste gradus.

Cui natus: faciam, si me praecesseris, inquit,

Rectaque monstrantem certior ipse sequar. 10

Nam stultum nimis est, cum tu pravissima temptes

Alterius censor si vitiosa notas.

THURSDAY

Historical Latin

Cornelius Nepos, *Life of Aristides*

Nepos (c. 110-25 BC) was a Roman historian, born near Verona in Gaul (roughly modern-day France). He was a good friend of the famous Roman poet Catullus, who dedicated his poems to Nepos (along with Cicero and Atticus). Almost all his works are lost, but we have a collection of 'Lives' in which he gives the histories of a number of great men from history. This piece is on the Athenian statesman and general, Aristides The Just.

CORNELI NEPOTIS ARISTIDES

[1] ARISTIDES, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit; namque obtrectarunt inter se. 2 In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quem quidem nos audierimus, cognomine Iustus sit appellatus, tamen a Themistocle collabefactus, testula illa exsilio decem annorum multatus est. 3 Qui quidem cum intellegeret reprimi concitatam multitudinem non posse cedensque animadvertisset quendam scribentem, ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dicitur, quare id faceret aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus duceretur. 4 Cui ille respondit se ignorare Aristiden, sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Iustus appellaretur. 5 Hic X annorum legitimam poenam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno, quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

[2] Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius, quam poena liberaretur. Idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est. 2 Neque aliud est ullum huius in re militari illustre

factum quam huius imperii memoria, iustitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, in primis quod eius aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses. 3 Namque ante id tempus et mari et terra: duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pausaniae et iustitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.

[3] Quos quo facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classis aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, eiusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerarium esse voluerunt. Quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. 2 Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quam quod, cum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. 3 Quo factum est, ut filiae eius publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur. Decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

FRIDAY

Reference/Scientific Latin

Pliny the Elder, *Natural History*

Gaius Plinius Secundus was born in 23/24 AD and died in 79 AD, during the eruption of Mount Vesuvius. He was a prolific writer and the author of the encyclopaedic Natural History, a 37-book compilation of Roman knowledge on mathematics, agriculture, geography, medicine, zoology, art, and geology, among other topics. Book 8 is devoted to the study of land animals, and in this section Pliny describes the nature of the serpent called the basilisk.

8.33

Eadem et basilisci serpentis est vis. Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula ut quodam diademate insignem. sibilio omnes fugat serpentes nec flexu multiplici, ut reliquae, corpus inpellit, sed celsus et erectus in medio incedens. Necat frutices, non contractos modo, verum et adflatos, exurit herbas, rumpit saxa: talis vis malo est. creditum quondam ex equo occisum hasta et per eam subeunte vi non equitem modo, sed equum quoque absumptum. Atque huic tali monstro – saepe enim enectum concupivere reges videre – mustellarum virus exitio est: adeo naturae nihil placuit esse sine pare. Inferciunt has cavernis facile cognitae soli tabe. Necant illae simul odore moriunturque, et naturae pugna conficitur.